


Peter Wasmund

Rector Academiae Rostochiensis Petrus Wasmundt I. U. D. & Professor, Ad Exequias quas ... Elsaе Schomachers ... vir Dn. Jacobus Crullius Senator Reipublicae urbanae meritissimus uxori desideratissimae & liberi maerentes matri parant cohonestandas, Omnes omnium ordinum cives Academicos ... invitat

Rostochi[i]: Pedanus, 1631

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777423421>

Druck Freier  Zugang



Wasmundt, P.,
in
E. S ch ^u m a c h e r .

Rost. 1631.

39

RECTOR
Academiae Rostochiensis
PETRUS WASMUNDT
J. U. D. & Professor,

Ad Exequias

quas

Laudatissimae feminae

ELSA SCHOMA-
CHERS

Praestantissimus & prudentissimus vir

DN. JACOBUS Crullius Senator
Reipublicae urbanae meritissimus uxo-
xori desideratissimae & liberi marentes
matri parant, cohonestandas,

Omnes omnium ordinum cives Academicos a-
nter & officios invitatur.



ROSTOCHI

Typis JOACHIMI PEDANI Acad. Typ.
ANNO M. DC. XXXI.

RECTOR
Academiæ Rostochiensis
PETRUS WASMUNDT
J. U. D. & Professor.



Servator noster apud
Evangel. Matth. cap. 24.
cōminatur servo nequam
& improbo *δοχομίαν*,
quod aliqui interpretum
supplicij genus fuisse au-
tument apud veteres usi-
tati & gravissimi, cujus exemplum i. Sam. c.
15. exster. Rectè illi an secus id sentiant, non
est hujus loci & operæ, ut quæramus: Illud
constat, gravissimum omnino supplicium fuis-
se & non sine acerbissimi doloris sensu. Ve-
rùm nihilo videtur esse levior illa *δοχομίαν*,
qua discerpuntur ac dividuntur conjuges,
quos divina & amoris divini glutine in u-
num conjuncta & coacta tenuit copula, & i-
ta tenuit, ac firmavit tot annorum diuturni-
tas, ut non nisi magno nisu & labore, tum sen-
su doloris eo majori, quo diutius juncti fuerunt,
dividi ac dissolvi potuerint. Igitur nullum
dubium est, quin Amplifis. & Prudentifis. Vir Dn.
JACOBUS CRULLIUS, ex hac *δοχομίαν*, quam fati
neces-

necessitas in eo exercuit, summo & acerbissimo dolore afficiatur, dum cordis & animæ suæ dimidium sibi avelli sentire, & funestum ac lugubrem rotorum, quib. jucundissima amantissimorum conjugum duravit societas & confortium, experiri eventum cogitur. Sed operæ pretium faciemus, si & nos mortalitatis nostræ ex hac defuncta matrona & vitæ, quam transegit, curriculo, pietatis & honestatis plenissimo, exemplum capiamus. Nata enim est ea Anno Christi 1569, die 21, Septemb. in puncto tertiæ matutinæ, ex parentib. honestissimis: Patre quidem cive literato & primario MARTINO SCHUMACHERO & hujus civitatis centum & sedecim virorum ordine honorato, matre vero ANNA FOGEN pietate & modestia singulari prædita muliere, & in S. Baptismo nomen ELSÆ adepta, ita, ut ex ijs parentibus natam & per Christum renatam decebat, enutrita est: cujus etiam educationis mercedem & nutritia parentibus mature persolvit. Cum enim ei mater esset morte sublata admodum adolescentulæ, Pater viduus ita acquievit in filia superstite, ut & ipse per totos 19. annos viduus perseveraret, ac filia virgo casta, prudens, sedula, non sine singulari patris vidui gaudio rem Oeconomicam eo tempore administraret.

Non poterat ista virginis erga viduum paren-
tū pietas occulta esse, quin animadverteretur à
Dn. JACOBO CRULLIO literato juvene & studijs
politicis occupato. Is ergo cum videret hanc
virginis pietatem, sedulitatem, prudentiam,
non potuit, quin honesto ejus amore correptus
eam in thalami societatem peteret atq; ambi-
ret. Impetrabat facile quod petebat juvenis, ita
ut Deo disponente ac moderāte, in matrimoniū
ei cesserit, Anno Christi 1599, die 13. Octob. qui
in Kalend. Gallo tribuitur. Sane quā fel-
lici auspicio initum est illud matrimonium,
placidum, quietum, amore & concordia flo-
rentissimum. Siquidem in eo peperit marito fi-
lium JACOBUM, quem ante annos quatuor ad
cælestis vitæ societatem Deo præmiserunt pa-
rentes juvenem, ut omnibus notum est, eru-
ditum & medicinæ candidatum: Deinde alte-
rum MARTINUM adhuc superstitem adolescen-
tem & filiam ANNAM CL. & Consultis. Viro
Dn. BALTHASARO KEGELIO J. U. LICENTIATO Sol-
dinensi Marchico in matrimonium ante an-
num collocatam, & ex ea nepotem recenter edi-
tum reliquit. Cū igitur annis 32. hoc matri-
monium feliciter constitisset ac durasset, finem
ei attulit morbus matronæ, qui populariter in
hac

hac urbe grassatur: quo cum ea esset correpta,
licet medici cura & sedulitas artificiosa non
deesset, vehementior tamen is fuit quam ut i-
psi arti cedere vellet, quin matronam pijsimā
& honestissimam anno ætatis 62. in vera fide
& invocatione Dei, inter suorum lachrymas
è medio tolleret. Igitur, optimè quidem actum
est, cum optima matrona, quæ ex hoc mundo
sublata est eo tempore, quo pene melius non
nō nasci, quam diu vivere. Quos enim ventos,
quas procellas, quos fluctus vidimus & experti
sumus in hoc pelago! in quo ut unda trudit un-
dam, ita calamitas una hoc præsertim tempore
excipit alteram. Jam tot annis bello adfligimur
& quæ bellum comitantur malis: morbi gras-
santur & frequentes & vehementes: Res fami-
liaris attenuatur, extorquetur, perit multis
modis: quæ omnia & alia hominem non omni-
no durum in mœrorem cordolium, adeoq; ipsi9
vitæ tædium facile conjiciunt. Sed res agitur
superstitum: Quid enim relictus viduus? quam
ei mentem esse in hac distractione putabimus? Ante
hac domi cum videret, quod ex horum temporum
conditione ei molestum esset ad curiam confugiebat;
in curia si quid offenderet, ut hoc itidem tempore plu-
rimum non offendere non poterat, domi erat, quod
hanc ei ægritudinem aut adimeret, aut leviorē red-
deret.

deret. Nunc neque in publico videt, quod privatum
ei dolorem minuat molliatque, neq; domi, quod pu-
blicum. Quin etiam, ubi filium, ubi filiam, ubi tene-
rum nepotulum respicit, non tam communis gaudij,
quam sui, id est solitarij, atque ob id cumulati do-
loris copiam deprehendit. Quid autem filius, quid
filia? quantam ex hoc matris obitu moestitiam conce-
pisse putabimus? annon ipse etiam nepotulus infans,
una cum lactis materni dulcedine hujus tristitiæ ama-
rorem haurire existimandus est: Quamquam ve-
ro hæc ita sunt, tamen viduus moestissimus colliget se,
& quicquid erunt ac roboris vel ab indole vel ab
studio divinam & humanarum literarum, vel ex rerum
usu & experientia habet, id in hoc certamine cōtra for-
tunam proferet, exseretq;. Piam & probam uxorem ha-
buit, hoc ergo ipsum sibi gratuletur, quod nec impiam
habuerit nec improbam: quod genus plurimi & præ-
cipui nominis Viri, quorum exempla ex historijs novi-
mus, patienter, & suppresso dolore ferre coacti sunt:
Habuit eam totos 32. duos annos, nec injucundam nec
sterilem; fruatur igitur ante acti temporis jucunda
recognitione, & cum amiserit arborem, id est matrem,
liberos ab utroq; sexu, arboris fructus & amoris con-
jugalis post mortem quoq; durantis obsides, illius de-
functæ vice respiciat, ijs se oblectet in ijsque &
acquiescat. Habuit piam liberorum, ac domus fide-
lem curatorem & custodem? Atqui has etiam partes
uti in se lubens recipit filia, ita sedulo & fideliter fun-
gitur & ut absentis maris desiderium, lenius fert Pater,
sedulo conatur. Ipsa eum Resp. admonet, ut luctui ac
dolo-

dolori moderetur, quæ tam necessarijs temporibus
procul omni luctu ac dolore domestico, publicam con-
stantiam pectoris non turbati flagitat: hanc sibi alteram
suam uxorem putet, à cuius cura, amore, cultu nullus
eum dolor aut luctus possit avellere. Hanc comple-
ctetur, & magnis istis ac publicum spectantibus cogi-
tationibus illorum affectuum undas componet, & haud
frustra se uxori defunctæ superstitem relictum arbitre-
tur. Non deduco eum ad amplissimas & efficacissimas
divinæ sapientiæ consolationes, domi eas ipse possidet,
licet aliqua forte humani ingenij nebula obductas &
occultas: removendæ tamen sunt istæ & in apricum ac
serenum deducendus ipse, ubi videat Dei artificis no-
stri voluntatem non minus piam & benignam, qua sa-
pientem & artificem. Creati sumus omnes ad imaginem
Dei, multas magnasq; infirmitates & ab humana ac ter-
rena conditione maculas contraximus: has artifex no-
ster Deus emendat, imo tollit, in vivis quidem sapone
ac nitro calamitatum, de quo genere hæc est; in defun-
ctis vero ipsa morte, si mors dicenda est, cuius benefi-
cio, tanquam fornacis lustrantur, purgantur, emendan-
tur; non absumuntur, pereunt, dissipantur, aut evane-
scunt. Quis dixerit, æs aut metallum perire, quod va-
si inditum testaceo & igni impositū liquescit, ut ex eo
statua fiat? Non perit, sed honestatur, & ex infirmi atq;
infirma vitij ac nævis obnoxia in formosam, firmam,
æterno flore ac decore ornatam imaginem transit. Igi-
tur, quamvis humanæ conditionis ingenium non pos-
sit non commoveri: tam acerbo capitis carissimi raptu:
tamen divinæ voluntatis & optimæ & sapientissimæ re-
spectu se componet ad quietem & optime factum esse:
dubi-

dubitare non potest. Quod ipsum liberi quoq; ad animum revocabunt, quantum per sexum altera, alter per ætatem potest, & hanc ipsam Dei voluntatem, communemq; omnibus hominibus fixam legam in oculis habebunt: Patris exemplum imitabuntur, & ut suo obsequio & commoditate maximam ei luctus partem adimant, omninò studebunt. Neq; nullum hujus negotij gartia momentum afferet, socero quidem gener lectissimus, conjugi vero maritus carissimus: siquidem ipse lugentibus ad consolationem, nò exemplo solum constantiæ, viro literis exculto & virtute prædito dignæ, præiverit, sed & verborum alloquio ex utraq; Philosophia petito eos erexerit & cõfirmaverit. Academia vero & omnes ejus jurisdictionem agnoscentes subditi suam quiq;, ut Christianos & eruditos decet, condolentiã testabuntur, si ad exequias frequentes compareant, idq; ut faciant, pro officij nostri ratione, sedulo ac diligenter eos monemus atq; hortamur. Meretur illud vidui modestissimi dignitas in ampliss. hujus civitatis ordine cõstituti, ac de nostro ordine bene meriti, hodieq; merentis, ac deinceps pro viribus merituri: Postulat communis humanitas, temporis autem ratio & necessitas etiam flagitat, ut nos ipsos, nostramq; omnium & inprimis almæ matris Academiæ, provinciæ, adeoq; totius Germaniæ Patriæ dulcissimæ salutem, & incolumitatẽ Deo commendemus, pijs precibus iratum placemus, & calamitates, quæ imminet, avertamus. Curabitur autem funus in templo petrino, in quo ut omnes hora media prima pomeridiana conveniant, indicamus.
P. P. 19. Augusti Anno 1631.



Ich Thomß Joubertus bekenn' Euch Thg' von seligen geseh'
denen mein' Antz' darinnen der 2te nachulich
Erwardt' John' Baptistus Paricki. Togan' Nolar
mit' paragon' Gebir' 100' Rumm' der Rantz' 12'
weld' mir wol' zu' Kennung' 100' weld' sich
erkenn' mit' unim' Egen' sam't' mit' mit
verant'

Ergeb' 1622' von
20' April' ind' 1
Julian' cap' 1622'
Joub' / von' 18' 1/2' of
auf' 1000' 1000' 1000' 1000'
1000' 1000' /

ATIS

Yonnes 82fo
mays 9/5
auf

100 R
29 12 R

C

